

EXERCICIOS DE TRADUCIÓN LATINA:
1ª e 2ª declinacións. Adxectivos do 1º tipo.
Tema de presente do verbo SVM
e dos verbos regulares. Preposicións e conxuncións

SEMPRONIA ET COTTA

Cornelia domīna est et in villa prope silvam vivit. Cornelia filiam habet: Semproniam. Sempronia poetam amat: Cottam. Sed Cornelia amicitiam Semproniae et Cottae non apprōbat. Sempronia ancillam habet: Marcellam. Olim, Marcella ianuas villae apērit et Cotta in villam intrat. Sed Cornelia Cottam videt et suscenset. Cotta e villa exit et Cornelia Semproniam claudit.

Paulo post, Sempronia epistulam scribit et auxilium Marcellae poscit: serva terminos villae transit et Cottae epistulam fert. Cotta nuntium accipit et verba Semproniae legit: “Amo te, Cotta, sed animus meus maestus est. Familiae meae poetae non placent, sed anima mea versiculos tuos adōrat. In muro postico meae villae parvum cavum est. Mane noctu intrabis, conveniēmus et fugiēmus”.

Multas lacrimas laetitiae Cotta vertēbat, et inquietus animus consilia fugae parābat. Sed Cornelia tristitiam Semproniae vidēbat, et sic excogitābat: “Semproniam de Cotta quaeram oculosque suos observabo. Verum semper in oculis est”.

Cotta ad villam Semproniae ambulābat et iam appropinquābat ad cavum in alto muro villae. Sed, adhuc extra murum, verba duārum feminārum audiēbat. Cornelia Semproniam quaerēbat: “Num Cottam vere amas?” “Amo”, respondēbat sollicita puella. Iunctim, Cornelia observābat umīdos oculos Semproniae et, incredibiliter, claram formam poetae in imo fundo oculōrum. Cornelia, stupefacta miraculo, oscula in malis Semproniae dabat, et dicēbat: “Mea filia, poetam vere amas!” Marcella dicta clam audit et magnum gaudium animum suum occūpat.

Cotta audiēbat, sed non discernēbat, verba; et cogitābat: “Sine Sempronia vita mea maesta erit. Intrabo in villam et meam puellam inveniam; sed non accēdam per caecum cavum muri: ianuam petam et meum desiderium Corneliae exponam”.

Sempronia et Cornelia laetos cachinnos promēbant. Cotta ianuam pulsat et Marcella apērit. Pavida ancilla Cottam videt clamatque: “Fortūna bonique dei secundi tuis consiliis sunt. Intrabis et tuam amātam puellam invenies: Cornelia licentiam dat”

Sic, ex illo die ⁶, Sempronia et Cotta laetam vitam agunt (aliquando dispūtant!).

⁶ “Desde aquel día”.